

piuntque contra juris civilis præscriptum, ab executione, quod mercatorum peregre venientium commodo introductum est. Peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem consanguineorum; quod in Gallis, Anglia, Scotiaque illis nefas est, ubi Principes, quo jure, quaque injuria Albinagii, morientium ab intestato, nullisque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant.

Lingua Flandrorum Teutonica est, quam Becanus Cimbricam vetustissimamq; dicit. Gallicæ linguæ suavem alacritatem aut adjungunt suæ genuinæ, aut præferunt, sive propter commercia, viciniamque regionum, sive ut aulis, in quibus illa valde viget, adsuescant. Illud mirum, quod idem Becanus refert, sese ex Augerio Gifleno Boesbecano equite Flandro audivisse, illum, quum apud Turcorum Principem Constantinopoli esset legatus, familiariter ibidem esse locutum cum Asiatico indigena, Euxini accola, cui Flandricus sermo tam vernaculus erat, uti *sebene/ellebene/twaelbe* pronuntiaret: ut omitam Gandensis idiotismi usuram à scriptoribus attribui quibusdam gentibus Indiæ Mexicana. Sed credat, qui volet. Illud verum, multas vernaculas Flandriæ Belgicæque Germanizantis voces ex Græcæ linguæ matrice fluere, vel saltem illi consonas esse, ex græcò *graben/γρᾶβον*, sculpere: *grijpen/γρῆψεν*, unguibus involare: *cloffen/κλωβειν*, globis ludere: *puer/πυερ*, zelus: *stijven/στειν*, durare: *stenen/σενεν*, gemere: *thranen/θρῆνεν*, lachrymari: *dier/διερ*, animal:

*lispronge/λισπραφόνγγη*, lubrica lingua: *calaphatren/καλαφατῆς*, naupegus: *krebbe/κρεβάτων*, lectus pensilis: *strop/στρόφος*, funis intortus: *lampres/λαμπρῶν*, velum pellucidum: *phiel/φῆλος*, scurra: *kupl/κῆλος*, specus concavus: *breesen/φρέζειν*, metuere: *brimstich/βριμμάζειν*, salacem esse: *burg/πύργος*, turris: *kolp/κόλπος*, sinus maris: *stipe/σύλη*, columna: *hulcke/ὄλκας*, navis oneraria: *Mane/μάνη*, Dorice Luna: *tamere/τήμερον*, Attice hodie: *kirke/κυρκαῖον*, templum dominicum: *deur/θύρα*, ostium: *clanck/κλάγγη*, clangor: *sack/σάκος*, saccus.

Flandria, post avulsam Arthesiam in tres partes mansit distincta, quarum præcipua Gallico sceptro subiecta propriè dicebatur Comitatus, quo nomine Flander primus Comitum audiebat, censèbaturque inter Franciæ Pares, ensem Regi inaugurando præferens. Sed cessavit hæc consuetudo, & cum eo Gallorum in Flandriam jura, capto ad Ticinum Rege Francico primo. Altera dependebat à Sacro Imperio Romano, & dicebatur Dominium Flandriæ. Tertia denique celebrabatur vocabulo Proprii, nec superiorem ullam agnoscebat potestatem, sed à Comite regebatur jure Optimo, Maximo.

Imperavit apud Flandros primò stirps Forestiorum: deinde Alsaciorum: tertio Borboniorum, stirpis Arcembaldici: quarto Burgundionum, stirpis Capeticæ: quinto Austriacorum, stirpis Hapsburgicæ. Series autem Principum hæc est:

*Diviso Flandriæ.*

*Imperia Majorum.*

F O R E S T E R I I.

- 1 *Lidericus Buc primus Flandriæ Foresterius, filius Salvarti Principis.*
- 2 *Digeonensis, creatus à Dagoberto Francorum Rege, anno 621, obiit anno 692.*
- 3 *Antonius Buc Flandriæ Foresterius filius Liderici, vir fuit impius, periit occisus à Danis.*
- 4 *Boschartus frater Antonii Flandriæ Foresterius, qui pulsus est à Theodorico Francorum Rege, Nortmannis Flandriam vastantibus.*
- 5 *Esfloredus filius Boscharti Flandriæ Foresterius, Nortmannos expulit auxilio Caroli Martelli, obiit anno 792.*
- 6 *Lidericus secundus Esflore di filius Flandriæ Foresterius, obiit anno 836.*
- 7 *Inguellranus filius Liderici Flandriæ Foresterius, obiit anno 852.*
- 8 *Odoacer filius Inguellrani Flandriæ Foresterius, primus Gandavum muro cinxit, obiit anno 863.*

C O M I T E S.

- 1 *Balduinus, cognominatus Ferrea manus; ob fortitudinem, primus Flandriæ Comes creatus à Carolo Calvo anno 862, obiit anno 877.*
- 2 *Balduinus secundus, dictus Calvus, cinxit muro Brugas, aliasque urbes, obiit anno 919.*
- 3 *Arnoldus primus, Comes, obiit anno 964.*
- 4 *Balduinus tertius, Comes, obiit anno 967.*
- 5 *Arnoldus secundus, Comes, obiit anno 988.*
- 6 *Balduinus quartus, Comes, obiit anno 1034.*
- 7 *Balduinus quintus, filius, Comes, obiit anno 1067.*
- 8 *Balduinus sextus, Comes, filius Balduini quinti, obiit anno 1070.*
- 9 *Arnoldus tertius, filius, obiit in pugna, anno 1072.*
- 10 *Robertus Frisus frater Arnoldi Flandriam vi occupat, interrupta legitima successione.*
- 11 *Robertus Frisus secundus: Hierosolymitanus, patruelis Arnoldi tertii, Comes, obiit anno 1111.*
- 12 *Balduinus septimus Securicula, Comes Flandriæ.*
- 13 *Carolus primus, Pius, sive Bonus, patruelis Balduini septimi, obiit sine liberis.*
- 14 *Guilielmus Normannus; ob tyrannidem ejectus.*
- 15 *Theodoricus Alsacius Comes, obiit anno 1168.*
- 16 *Philippus primus filius, obiit sine liberis, anno 1192.*

Belgica

R

17 Mar-